IN ANNIVERSARIO FVNERE

LEONIS X.

PONT. OPT. MAX.

ORATIO

HABITA IN ECCLESIA

ROMANAE SAPIENTIAE

A' FRANCISCO MARIA GASPARRO

In Eiuſdem Sapientiæ Archigymnaſio, in matutinà Sede Inſtitutionum Ciuilium Interprete,

ET AB EODEM DICATA

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI,

CARDINALI PALVTIO DE ALTERIIS

EPISCOPO PORTVENSI, ET S. R. E. CAMERARIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, M. DC. XCVIII.

Typis Pauli Monetæ. *SVPERIORVM PERMISSV.*

Emin.^{me}, & Reu.^{me} Princeps.

OBSCVRVM nimis ſortita Genitorem, in lucem renuebat prodire præſens Oratio. Quomodò enìm, aiebat, quæ ſemper tenebris aſſueta, in latebroſo hebetis ingenij ſinu hùc vſque delitui, acuta patiar lumina Eruditorum? Et iàm hiſce curis vexata, in mentem meam reditum, inanem quamùis, tentabat; eo quod vix orta, publica

ſieri cogeretur. Cùm mihi ad eius querimonias accurrenti obtulit ſeſe benignitas tua PRINCEPS EMINENTISSIME. Et quid ampliùs, dixi, prouido repugnas Fato anceps Oratio? Vanos iàm metus excutias, ſub cuius viuas munimine, magnum inueniſti Patronum. Hic nè fortè in aſperos Cenſorum ſcopulos incidens, tui meique iacturam facias, ſua gentilitia SIDERA in Cynoſuras tibi conſtituit. Eorum igitùr ductum ſequere, & ſorte tuà vtaris. Nèc propriæ compòs Egeſtatis, tanti Principis oculatam cenſuram plus æquo formides; hoc enìm eius inter præclara decora, maius eſt, quod ſciat mereri maxima, & modica nòn dedignari. Vnum ergò ſupereſt, ùt poſtquàm illius aſpectum ſupplex adieris, addas; Ità etiam qui me genuit, humillimo obſequio ſe donat, àc dicat.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus, Obſequentiſſimus,
& Addictiſſimus Seruus
Franciſcus Maria Gaſparrus.

ORA-

ORATIO.

MAgno LEONIS Decimi Cineri, hoc eodem loci, quotannis, memoriam panegyri referente parentatur, vt ſcilicèt vitam, quam optimo Principi inexorabilis neceſſitas rapuit, noſtris animis immortalis dolor reſtituat. Sed hæc etiàm gratia Principis eſt, ùt perennes illi gratias referamus;quam enìm ipſe ſuæ erga nos munificentiæ Comitem habuit, noſtris quoque in eum lachrymis conceſſit ęternitatem. Nèc ſanè Mors valuit (aliàs rerum omnium meta) LEONIS liberalitati columnas ponere terminales, vtpotè, quæ vltrà communes Fati Leges ſua merita protraxit, ùt vèl ipſum Principis Cinerem beneficum ſentiremus. Sed nobilior noſter luctus aſſurgat, pudeatque lamentationem venalem facere beneficiorum memorià. En noſtris querimonijs excitata vetus Mundi cicatrix recrudeſcit. Commodat ille nobis lachrymas ſuas, & quas noſter dolor priuatas fecerat, Mundi luctus publicas reddit. Et re verà quod in Catonis Encomium à Pharſaliæ Vate magnificè vſurpatum fuit.

Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere Mundo,

ſi ad LEONEM transferatur, nulli magis quàm ipſi æquiore iure congruere ſatis innoteſcet, id profectò quod Orationi meæ grande ſufficit argumentum.

In tertiodecimo ætatis anno conſtitutus, acerbâ adhùc pubertate florebat Ioannes Mediceus, ſed quem proprię Virtutis maturitas iàm erudierat in Senem. Cùm ab INNOCENTIO huius nominis Octauo in Purpuratorum Patrum Concilium adoptatur. Obſtupeſcitis Auditores? In Elatione Medicei ab ipſius meritis præoccu-

patus fuit Innocentius; Hinc, quod ſuperuacaneum cenſuit, ætatis ſuffragium nòn expectauit: Feſtinauit ſiquidèm Purpura, nòn Principi allatura ſplendorem, ſed acceptura. Vidiſſes vultum in virilem vix eruditum, & grauioribus conſilijs mentem fœcundam. Hominem, ſi annos inſpicias, dignitati imparem, ſi merita numeres, dignitate maiorem. Mundus etenìm, quem ſibi genitum nouerat, iàm tùnc temporis efformabat in Principem ſuum.

Sed proh' miſeram Virtutis conditionem, ùt ſemper ex aduerſis cogatur emergere, & nòn niſi è miſerijs ſortiri queat felicitatem! Ob initum à Petro Ioannis Fratre cùm Gallorum Rege coactum fędus in omnia eius Familiæ germina Florentia conſpirat. Proſcriptos dicit Mediceos, hoſtes Patriæ nuncupat, eoſque interficientibus præmia decernit. Hinc ſolam fugam, communem miſeri dotem, ſibi ſuperſtitem nactus Ioannes, fraterni quamùis nòn reus, adhùc conſors infortunij iratam Patriam declinat; dignitatis inſignia deponit, Purpuram abdicat, ignotus omnibus, ſed notus ſibi. Bononiam, Germaniam, Galliam, innumeraſque Prouincias profugus contendit; Varias commutat Regiones, mores nunquàm; tùnc ratus animum gerere magnæ Virtuti parem, cùm ſe magnæ Inuidiæ nouit eſſe capacem. Acuit quidèm decem & octo annorum ſpatio, inimicus liuor dentes ſuos, ſed irrito planè conatu, ictus enìm, quos in Medicei corpus dirigebat, in eius animo retundebantur. Obiecit ille armatis Hoſtium inſidijs ſe ipſum inermem, ſed hoc ipſo eas facilè declinauit, quod ſe ipſum oppoſuerit; Et in vario iratæ ſortis diſcrimine, præclaris, quibus ornabatur animi dotibus, nouam adiunxit, Conſtantiam.

Tigrim Fluuium memorant, qui poſtquam aquarum ambitu Orientem latè circumdedit, in profundos decidens

ſpecus obruitur, àc deſideratus diù, in remoto loco multis quam ante, vndarum acceſſibus locupletior emergit. In latebroſo ęrumnarum ſinù credidimus hùc vſque Mediceum famæ oculis penè ſepultum, ſed in ipſis aduerſæ fortunæ vicibus, velùt in virtutis tyrocinio conſtitutum, vèl inuitum etiàm, vèl aſpernantem ſuamet illum gloria manifeſtauit. Et adcò ingens apparuit, vt è diſſita quamùis regione, adhùc IVLII in Vaticano ſedentis Pontificiam raperet admirationem. Vt vidit Pontifex præcipitat moras, inſontem exulem Romam aduocat, aduentum proſperum gratulatur, gratis excipit beneficijs, eumque Bononiæ primum, mox Pontificij Exercitus cùm Gallis Italiam vexantibus dimicaturi, Legatum dicit, vt vnius Prouinciæ Rector electus, erudiretur in Orbis moderatorem. Vidiſſes raro ſanè commercio conueniſſe ſimùl ſagum, & togam, vexilla Belli, cùm Pacis inſignibus, & partes militis agere Purpuratum. Vidiſſes illum modò impauidâ voce ad pugnam milites cohortari, modò cadentium animas hoſtilis ferri vi abire coactas retinere pauliſper, donèc eas commendationibus ſuis Deo cariùs deuinciret. Quos habuit propinquos hoſtes, nòn metuit, quæ prę-ſentia vitæ diſcrimina, non declinauit, contrà victores inuictus, in Theatro mortis illæſus, ùt iure meritò credi poſſit, Miniſtrum ſuum defenſuram collapſam è ſuperis Pietatem. Et ſanè haud dubiâ Dei Prouidentiâ, licet hoſtium captiuus euaſerit, citò tamèn Patriæ finibus fuerit reſtitutus, àc ſi perhorreſcerent vincula eas manus violare, quibus Orbem totum ſoluendi, & ligandi Poteſtas proxima debebatur. Nèc mora; vix IVLIO huius nominis Secundo, numero viuẽtium erepto, in viduatæ Sponſum Eccleſiæ, communibus Purpuratorum Patrum ſuffragijs Mediceus renunciatur. Plaude tibi iàm Orbis, votis tuis Cęlum arriſit; Alios

fecisti Principes, hunc imperio tui iàm genitum inuenisti. Quamobrèm nòn absq; conſilio reor, in Pontificem vix inauguratum grande LEONIS nomen induiſſe Mediceum; more enìm ferarum Regis rugitu ſuo in remotis vſque Germaniæ finibus Lutherum terruit, hæreſes vnguibus lacerauit, ùtquè flagitia terrarum vbique baccantia in fruſta diſcerperet, Lateranenſis Concilij ſanctiſſimo cętu ritè abſoluto, dentes acuit in tela Religionis. Sed nè ſuo magis quam par eſſet, confiſus robori videretur, ſingulare pœnitentiæ exemplar denudatis pedibus per Vrbem inambulando, ſubdita vota Diuinæ Vltioni porrexit, ùt in Selimi Turcarum Imperatoris exitium, ſagittam aliquam reſeruaret; Tùnc quoque cùm in maximum Orthodoxi nominis hoſtem furores æquos direxit, LEONIS morem imitatus, qui maiores belluas vincere gaudet, quaſi Regalis iræ iacturam facere timeat, ſi cùm minoribus congrediatur. Et profectò quomodo vitam ſcelera ducerent, vbi ſub magno Principe Virtus imperabat? Fuerit quidèm ſplendidum Muſarum mendacium in grauido Iouis vertice tribuere Palladi cunas ſuas, hoc ſanè pro certo eſt, quod ſub LEONIS Imperio nòn vagiuit Minerua, ſed adulta proſiluit. Adeſte hùc ſermonis mei certiſſimi teſtes, quotquot in aureà illà tempeſtate erudità laureà comas cinxiſtis. Vos Bembos, vos Sadoletos, aliaque Litterariæ Reipublicæ illuſtria nomina appello. Quæ nàm euigilatæ veſtrum curæ mereri præmia potuerunt, quæ prodiga LEONIS Liberalitas fœcunda manu largiri noluerit? Nouerat enìm Mundo genitus Princeps, quæ vobis ſoluebat munera, nòn ſinè magno fęnore cedere in Orbis vtilitatem. Cernere erat Scientias obiectis diſſitas, ſententijs varias, nominibus diſcrepantes, in Vaticano tamèn Parnaſſo, Pontificio Apol-

lini

lini vnanimitèr famulari, in cuius animo, ſedatis inter ſeſe diſcordijs, iàm omnes diuturnà Pace conuenerant. Exulabat ſiquidèm à Sapientiſſimi Principis Regià, commune Aulæ Studium, Inuidia, niſi quod alteri àb alterius meritis ad æmulam Virtutis conſecutionem calcar addebatur. Deſijſti iàm Egeſtatis ſordibus obuoluta Sapientia vileſcere, nèc indigebis ampliùs ſpecioſo illo quidem, ſed ægræ mentis ſolatio, quòd ipſa ſis pretium tui, inueniſti tandèm par tibi pretium, LEONIS munificentiam. Quantum debes de te meritiſſimo Principi Litteraria Reſpublica! Nàm cui magis, quàm tibi LEONIS patuit ærarium? Cuinam alteri, quàm meritis tuis diuitiæ Pontificis indulſerunt?

Aſt nunquàm ſuo voto ſatis reſpondens LEONIS liberalitas, minus æquum eſſe cenſuit Sapientiam protexiſſe, nisi etiàm illi conſtans ſtabiliret Imperium, cuius ope, àc munimine fretus imperabat. Romano itaque Archigymnaſio magnificè reparato, meritiſſimos grauiſſimarum artium profeſſores, iubet acciri, ùt eruditam litterarum ſupellectilem communi bono publicè exponerent. E remotà quauis Mundi plagà auidi Sapientiæ quæſitores euolabant, quos vèl priuatum cuiuſlibet deſiderium, vèl ipſum munificentiſſimi Principis nomen exciuerat. Singulorum votis arridens quemlibet ad ſe confugientem Romana Pallas excipiebat, vnum quippè tantum àb eius Regià inimicum ipſi vitium, Ignorantia, exulabat. Parum ſiquidèm LEONI viſum fuerat, còæuis ſibi temporibus publicæ proſpexiſſe vtilitati, niſi nunquàm defectura in poſteritatem etiàm beneficia continuaret. Tanti profectò fuit Mundo genitum, Principem habuiſſe! Habuiſſe? LEONIS panegyri prope lenita, ad huius amaræ vocis ſonitum, cicatrix noſtra recrudeſcit. Amiſimus enìm quem laudamus, quem lamentamur habuimus. Maturum Cælo

Prin-

Principem, Cęlum ipſum Terris inuidit, voluitque illius Vitæ metam ponere, qui infinità propemodum beneficiorum ſerie ſtatuerat terminum munificentiæ. Nil enìm aliud, LEO Maxime, tui nominis æternitati deficiebat, quam ùt Mundo illi, in cuius opem Conſilia, animum, diuitias, ærarium impenderas, ipſius etiàm Vitæ liberalis exiſteres. Sed è Superis etiàm Litterariam hanc Palladem, Orbemque olim tuum benigno intueris aſpectu Princeps amantiſſime, & quæ nobis, inter nos degens, contuliſti beneficia, in Concilio viuens immortalium maiore numine defendis, àc ſeruas. Quomodò enìm ab animo tuo Pallas excidet, qui cadauer ipſum in Mineruæ Templo condi iuſſiſti, ùt vèl Cineris tui hæredem faceres Sapientiam? Sed ùt verum fatear, vacuam prorsùs titulorum vrnam tanti cineris cuſtodem inueni, velùti oppreſſa ingenti adcò copià Pontificis meritorum, in eligendis tumuli ornamentis hùc vſque obſequia Mundi laborauerint. Fortaſsè verita ſuis auſis excidere tranſacta Secula Maieſtas argumenti deterruit, nos verò, qui plus alijs munificentiſſimo Principi debemus, nòn erit abſonum, ſi beneficiorum memores plus alijs quoque audeamus. Igitùr parcum nimis Pontificium Tumulum, qualecumque fuerit, hoc Epitaphio adornetis.

LEO X. PONTIFEX MAXIMVS;

ECCLESIÆ SPONSVS, ORBIS CAPVT,
IMPVBES ADHVC, ET PVRPVRATVS,
ANNORVM STERILIS, MERITORVM FOECVNDVS;
INVISVS SORTI. QVIA CARVS VIRTVTI,
SACER MILES IN BELLVM PRODIIT NON MVNITVS TELO;
SED FIDE;
NVLLI MINVS PROSPEXIT, QVAM SIBI,
NVLLI MAGIS INDVLSIT, QVAM SAPIENTIÆ,
OPES QVAS HABVIT DESPEXIT,
VTQVE ILLAS AMARE POSSET, CONVERTIT IN BENEFICIA:
GENITVS NON SIBI, SED MVNDO, NEC DIGNVS MVNDO,
NISI DIGNIOR ÆTERNITATE.